



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulum XIV. Officij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

pereat, *argum. L. Scævola 76. ff. ad S. C. Trebellianum*; dispositiones autem ultimæ, si in tertie personæ voluntatem, & arbitrium referantur, irritæ censentur, quoad civiles Leges *L. ita 32. ff. de hæredibus instituendis*. idem, ne omnino intercidat dispositio, explicari debet, quod defunctus voluerit in pias causas bona devolvi, secundum electionem, & arbitrium Titij: id enim fieri potest, cum hæ causæ civilium legum solemnitatibus subditæ non sint, & idem secundum istum intellectum voluntas testatoris consistat, sicuti dictum est in *c. cum estis*. Accedit, si alterius personæ arbitrio aliquid committatur, quod ea ita debeat arbitrari, sicuti quilibet vir prudens arbitraretur, sive quod optimum, & consuetissimum videri debet *L. fideicommissa 11. §. quamquam ff. de legatis tertio*, optimum autem defuncto & prudentissimè factum erit, si Titius, cuius arbitrio dispositio bonorum commissa est, ea in pauperes, & alias causas pias pro salute animæ ejusdem defuncti distribuerit.

CAPITULUM XIV.

Officij.

PARAPHRASIS.

In hoc cap. Innocentius III. tria asserit; primum. Si testator portionem aliquam Episcopo legavit, hac conditione, ut is eâ contentus, portionem canonicam, sive quæ ipsi secundum Canones ex funeralibus, & similibus legatis deberetur, petere nolit, Episcopus autem portionem sibi tali pacto legatam acceptavit, tunc portionem canonicam petere non potest. Ratio dari debet, quia juri suo, ac favori quilibet renunciare potest. Alterum, si Episcopus portionem, quæ ipsi absolutè legata fuit, acceptavit, tunc portionem canonicam ex legatis, & funeralibus, nihilominus petere potest. Ratio est, quia hæc duo rectè simul consistunt, ut Episcopus portionem u-

nam accipiat ex voluntate testatoris; alteram verò ex constitutione Canonis, & à legatarijs Ecclesijs, consequenter dum unam portionem Episcopus accipit, alteri renunciare non censetur, cum renunciatio stricti juris sit, neque sine necessitate colligenda. Confirmari potest *ex L. unica §. primum verò sciendum. c. de rei uxoria actione*. Ubi dicitur, si maritus absolutè legaverit, quod censendus non sit, reliquisse animo compensandi dotem, quæ ipsi soluto matrimonio ex Lege restitui debet, præterquam si id testator exprimat. Tertium. Si testator plura reliquerit Ecclesijs tali verborum conceptione, juxta quam Episcopo portio canonica non debetur, constat autem id ipsum egisse in fraudem, tunc Episcopo portio canonica nihilominus danda est. Ita hoc membrum intelligit *Innoc. & habetur expressius in c. ult. hoc tit.*

CAPITULUM XV.

Requisisti.

PARAPHRASIS.

In hoc c. Innocentius III. asserit primò. Ex ijs, quæ pro salute animæ Ecclesijs, aut pijs locis legata, vel mortis causâ donata sunt (mortuaria vocari solent) Episcopus portionem, quæ est quarta, quibusdam in locis tertia pars, secundum Canones vindicare potest. Ita etiam habetur *in c. conquereute 16. de officio ordinarij*. Ratio est, quia Episcopus est caput Ecclesiæ sibi subditæ, & idem pars aliqua ad ipsum spectare debet ex ijs, quæ Ecclesiæ relinquuntur. Habet autem id locum non tantum, si Cathedrali Ecclesiæ relictum sit, sed etiam si inferioribus Ecclesijs, cum & earum ordinarius pastor sit *c. cum Episcopus 7. de officio ordinarij in 6.* Porro hæc quartam mortuorum, sicuti & decimarum quartam pluribus in locis

Si 3

aboli-